



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Crvce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

Versvs III. In quo secretè solus moraris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

VERSUS III.

In quo secretè solus moraris.

Dicit eum in sinu suo secretè morari; nam sicuti diximus, in fundo substantiæ animæ ac potentiarum dulcis hic celebratur amplexus. Sciendum ergo est, in cunctis Animabus, & in ipsarum substantia, arcanè & latenter manere **DEVM**: si enim ita non esset, non possent ipsæ subsistere. Verum in mentione ista latum intercedit discrimen: in quibusdam enim libenter manet & contentus, in alijs verò minimè. In quibusdā manet velut in propria domo imperando, & omnia gubernando: in alijs verò sicut extraneus in aliena domo, in qua non permittitur ei imperare, nec aliquid efficere. Vbi pauciores appetitus, proprijsque guttus vigent; ibi ipse magis solus, magis contentus, & velut in domo sua moratur, regendo illam & gubernando: tantoque magis secretus manet, quanto magis solus. Vnde in Anima ista in qua nullus iam appetitus, nullæ imagines aut aliarum rerum creatarum formæ manent, secretissimè moratur, cum tantò intimiori, interiori arctiorique amplexu, quanto ipsa purior est, & magis ab omni re præter **DEVM** solitaria. Atque ita manet secretus: nam istum situm & complexum non potest attingere dæmon, nec cum intellectus aliquis sicuti est assequi. At verò ipsi Animæ, in hac perfectione constitutæ, non est secretus: semper enim eum in se experitur: nisi fortè est illi secretus, respectu excitationum istarum, quæ quan-

do fiunt, videtur animæ, quod expergiscitur ille, qui prius in sinu suo dormiebat: & licet sentiret gustaretque illum: id tamen erat, veluti dilectum, in sinu suo confopitum sentire. O quam fortunata est anima ista quæ semper sentit **DEVM** in sinu suo quiescentem! ô quantum expedit illi ab omnibus separari rebus: sumere negotia, cum immensa viuere tranquillitate? ne fortè minima aliqua atomus perturbet, & inquietet Dilecti sinum. Ibi ordinariè manet velut confopitus in isto cum Anima complexu: quem ipsa optimè sentit, & ordinariè, optimè illo fruitur. Si enim semper maneret in illa, quasi expergefactus (quod esset notitias illi & amores communicando) iam hoc esset manere in gloria. Nam si vna euigilans vice, oculum duntaxat apertendo, talem efficit Animam: quid esset si ordinariè maneret in ea omninò expergefactus? In animabus alijs, quæ ad istam vnionem non peruenerunt: quamuis non maneat malè contentus & inuitus, quia tamen necdum sunt ad eam rectè dispositæ, secretus manet: non enim illum ordinariè sentiunt, sed tantum quando aliquas illis dulces facit excitationes, quantum non sint eiusdem cum hac de qua agimus generis, nec possint cum ea comparari. Sed dæmoni & intellectui, non sunt adeò sicut ista occultæ: adhuc enim possent aliquid ex sensus motibus cognoscere: eò quod, donec ad Vnionem peruenerint, non est rectè annihilata: nam adhuc aliquas exeret actiones, eò quod non sit totaliter Spirituális. At in excitatione ista, quam hic sponsus in ista perfecta facit Anima, omnia sunt perfecta: ipse enim facit omnia, in sensu explicato. Tunc verò in excitatione illa & euigilatione illi simili, cum quispiam expergiscitur &

T r respici-

21215
-1111111111
11111

11111

11111

respirat, percipit Anima Dei respirationem. Et propterea dicit:

Et in tua aspiratione dulci.

VERSUS IV. V. & VI.

*Et in tua aspiratione dulci
Bonorum & gloria plena
Quam delicate me amore
succendis!*

DE illa Aspiratione Dei, nollem loqui ego, sed neque volo: manifestè enim animaduerto me nescire de ea lo-

qui; & minorem apparituram, si eam verbis exprimerem. Est enim aspiratio quædam, quam Deus facit Animæ, in qua, in illa sublimis notitiæ Deitatis excitatione, aspirat illi Spiritum sanctum ad notitiæ proportionem: qui profundissimè illam absorbet, amore illam delicatissime inflammando, secundùm illud quod vidit, cum enim aspiratio bonorum & gloriæ sit plena, bonitate illam & gloria replevit Spiritus sanctus, qua in re amore illam sui succendit, super omnem gloriam & sensum; & propterea ab hac tractatione supersedeo.

30 (o) 30

¶

